

IOANNIS CHRISTIANI GOTTLIEB n.º 15  
ACKERMANN

MEDICINAE DOCTORIS

DE

DYSENTERIAE ANTIQVITATIBVS

DISSERTATIO PRIOR,

AVAM

D. XIII. MENS. NOVEMBR. MDCCLXXV.

PRO LOCO, VT VOCANT, OBTINENDO

PVBLICE DEFENDET.

---

*Quare aequum est vos cognoscere, atque ignoscere  
Quae veteres faciliarunt, si faciunt noui.*

TERENT.



---

HALAE TYPIS I. C. HENDELII.

IOANNIS CHRISTIANI GOTTLIBII

AGRIUM

MEDICINAE DOCTORIS

DE

DISSENTIENS

DISSERTATIO PRIOR,

IN

REPUBLICA

THEO. LOGO, UT VOCANT, OBTINENDO

PUBLICAE DEFENSIO.

IN

PRÆSENT.



IOANNIS GOTTLIBII

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO ABRAHAMO

L. B. DE ZEDLITZ

DYNASTAE IN KAPSDORF ET MICHELWITZ

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS

STATVS AC IVSTITIAE ADMINISTRO ACTVALI INTIMO

RERVV ECCLESIASTICARVM SVMMO PRAESIDI

AC

OMNIVM VNIVERSITATVM CVRATORI SVPREMO

RELIQVA

BONARVM LITTERARVM MAECENATI

INDVLGENTISSIMO

DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO

ALLEVSTRASSIMO

ATOVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO ABRAHAMO

LABORES

HOSCE ACADEMICOS

REGIS

CONSECRAT

OMITNI LIAVTA

U

OMNIVM UNIVERSITATVM CURATORI SVPERMO

ITALIENI LITTE

INDV

IO CHR GOTT ACKERMANN



LECTORI BENEVOLO ATQVE AEQVO

S. D.

IO. CHRISTIANVS GOTTLIEB  
ACKERMANN

MEDICINAE DOCTOR.

**H**aud dubito, *Benevole Lector*, permultos fore qui hunc laborem nostrum neque idoneum satis, neque saeculo nostro accommodatum esse putent. Quibusdam enim medicis totum illud displicet, ea, quae majores nostri super morbis eorumque causis ac curationibus philosophati sunt, exponere; quidam autem hoc laborum genus non quidem reprehendere videntur, verumtamen superfluum, atque inutile paene id esse putant. Plurimas enim

enim veterum de morbis opiniones obscuras, intellectu difficiles ac nostro aeuo contrarias existere, et omnia denique ea, quae nostris studiis vilo modo inferuire valeant, a multis iam medicis diligenter exposita ac ex veterum monumentis in libros suos translata esse existimant. Quibus omnibus quidem a claris atque eximiis viris satis iam responsum est; verum ne cramben decies iam coctam recoctamque demum apposuisse videamur, quam in explicandis dysenterici morbi antiquitatibus consumserimus operam, breuiter exponere placet.

Scilicet veteres maxima nobis atque praestantissima ad laudabile illud imitandi atque aemulandi studium exempla reliquisse, tam certum atque expeditum inter omnes est, vt in dubium qui id vocet, putem, fore neminem. \*) Hi enim ab omni iactantiae studio perquam alieni, ea tantum litteris prodiderunt, quae certa atque indubitata exemplorum vi constarent, ac in eo potissimum elaborarunt, vt intimos naturae recessus explorarent, vanarum autem ac inutilium de morborum originibus opinionum aduersarios se praebent acerrimos. Hinc sane factum, inprimis est, vt in libris eorum, vbi de iis, quae aegris accidere solent, agitur, nil sere occurrat, quod naturae, quam omnes medici diligenter sequi debent, repugnet, sed morborum paene omnium, ac acutorum inprimis symptomata apposite, et ad naturae exemplar, vt aiunt, tradita sint. Verumenimvero ea ab antiquissimis inde temporibus generis humani fuit conditio, vt iis, quae oculis conspici ac sensibus ipsis facillime percipi possunt, posthabitis, maximo studio in inuestigandis earum rerum rationibus elaboraret, quarum partes, e quibus componerentur, illi vel ignotae penitus, vel nondum cognitae

\*) Conferri sane meretur elegantissima oratio BOERNERI, *Viri quondam clarissimi*, atque ob multifariam suam doctrinam eximii, de HIPPOCRATE summo ac perfectissimo boni medici exemplo, quae ej. nobilibus Guelphicis p. 268. inserta legitur.

gnitae fatis erant. In hanc erroris culpam ii inprimis philosophi inciderunt, qui plura super totius mundi originibus philosophati sunt, quamuis perexiguam tantum eorum, quae in hoc terrarum orbe obuia sunt, cognitionem haberent. Ac eadem fere fata ars salutifera experta est. Quodsi enim medici antiqui HIPPOCRATEM COVM, *diuinum virum*, quo maiorem ac feliciorem medicum nulum scio, in obseruandis morborum symptomatibus ac decursibus secuti essent, longe maiora certe atque praestantiora incrementa medicina nacta esset. Etenim qui post HIPPOCRATEM florere, fere omnes medici, derelicta vnica ista, aperta ac simplici, qua ad veram medicinae cognitionem itur, via, ratiociniis ac ingenio suo nimis indulgere, atque ne exploratis quidem iis, quae aegris accidere assueuerunt, morborum tamen causas, ac rationes, qualescunque fere libuit, et ingenium eorum suggessit, excogitarunt.

Eadem fere *intestinarum difficultati* contigisse, ex ipsa antiquitate fatis liquet; siquidem in illius originibus exponendis veteres medici nimis fere occupati sollicitique fuisse videntur. Quam ob causam nostram hancee, quam in huius morbi antiquitatibus conscribendis posuimus operam, nemo medicorum inutilem penitus esse putabit, qui quantum opere aegros, quos intestinarum difficultas exercet, veterum de illius originibus placita attriuerint, compertum habet. Sunt enim medici, et fuere, qui in omni intestinarum difficultate vlcera obuia esse putent, atque ipsius morbi cura posthabita, vlcera tantummodo sanationem moliantur, in iisque totius morbi dysenterici originem sitas esse existiment. Ii vero, quoniam ad res suas confirmandas veterum potissimum effatis inniti videntur, ipsa etiam maiorum nostrorum auctoritate, quae sane maxima est, refutari debent. Neque defuere medici, iique magno ac praeclaro ingenio praediti viri; qui omnes istas medicinas, quibus veteres medici sanationes dysenterici morbi tentarunt, et hodie adhuc vtilissimas morboque nostro accommodatissimas

mas esse crederent. Ac inter hos quidem VOGELIVS, vir ob multifariam suam doctrinam praeclarus, fere primus est, qui in libello suo, quem de *dysenteriae curationibus antiquis* conscripsit, veterum curationes nimis laudibus extulit. Quam vero *vir* quondam *clarissimus* neque omnes dysenterici morbi curationes antiquas tradiderit, neque in exponendis remedium antiquitatibus maximo isto studio, quod in illustranda antiquitate impendi debet, elaborauerit, ac ORIBASIVM medicinas inuenisse dixerit, quarum vis ne HIPPOCRATEM quidem latuit, illa inprimis, quae a docto hoc viro siue praetermissa, siue non perspicue fatis tradita sunt, in altera huius libelli parte, quam proxime in lucem emittere animus est, vberiore sermone exponemus.

Paucula haec commentationis nostrae limini inferere placuit. At neque nos fugit, iuuenilia haec conamina nostra nondum ita comparata esse, vt ex omni parte absoluta dici queant. Siquidem in illustrandis his, quae maiores nostri scripta reliquere, maxima diligentia ac ineffabili industria opus est. Quodsi autem non penitus displicuisse hunc libellum, quem ad umbilicum vsque tantummodo perducere licuit, doctis viris perceperimus, nunquam profecto nos studii nostri poenitebit, quod in conscribendo illo consumsumus. Dab. *Halae, d. IX. Mens. Novembr. MDCCLXXV.*








§. I.

*Dysenteria veterum.*

**Q**uae autem de morbo, quem *δυσεντερίαν* Graeci, *difficultatem* vero *intestinatorum*, siue *tormina* Latini conicione vocauerunt, exposuere veteres medici, ea cum recentiorum placitis non ex omni parte conueniunt; siquidem illius nomine antiquioris aevi medici longe alio, et latiori quidem sensu vsi sunt. a) Omnes enim aegritudines, in quibus sanguis siue sincerus, siue deiectionibus aluinis interpositus, demitti assuevit, *dysenteriae* nomine insigniuerunt. b) Hinc etiam

a) Conferri prae caeteris meretur elegans dissertatio academica, quam GEORG. GOTTL. RICHTER, *Vir quondam celeberr. de fluxu ventris dysenterico*, Goettingae, anno MDCCXLII. edidit. Refert quidem ALEXANDER TRALLIANVS, L. VIII. cap. IX. p. 257, D. in coll. HENR. STÉPHANI antiquissimis temporibus *exulcerationi* tantum *intestinatorum* dysenteriae nomen fuisse, sed hoc non de omnibus certe, qui nobis supersunt, auctori- bus valet. Conf. ÉROTIAN. Sub hac voc. GORRAEVS in *def. medic.* s. v. *δυσεντερία*, MARINELLI in *comm.* in HIPPOCR. s. hac v. nec non FOESIVS, qui in *Oeconomia Hippocr.* s. v. *δυσεντερία*, veterum notiones docte et eleganter explicuit.

b) vid. HIPPOCRATIS MAGNI *Libr. de artic.* §. 81. T. II. p. 838. in Opp. ed. LINDEN. cf. GALENI *commentar. ad hunc loc.* in Opp. per HIERO-

etiam factum est, ut morbi hoc genus in varias diuersasque species diuide-  
rent; alteram, vbi maior minorue sanguinis sinceri, ex apertis vaforum  
sanguiferorum, quae intestina peruadunt, ostiolis, profluentis copia de-  
mittitur, quam *sanguineam dysenteriam* vocauerunt; alteram autem, vbi  
sanguinem foetentem ac fere aequum cum intenso vel remissione dolore  
et ingenti virium prostratione venter reddit, quam *hepaticam*, siue *rheu-  
maticam* dixerunt, c) atque a jccinoris imbecillitate proficisci putauerunt;  
et in aliam adhuc, in qua atram bilem funestis ut plurimum cum auspiciis ab  
aegrotantibus deiici existimarunt. *Atrabilariam* hanc vocauerunt *dysente-  
riam*. Vltimam tandem huius morbi speciem istam aegritudinem consti-  
tuere asseuerarunt, in qua, ut cum Q. SERENO SAMONICO d) loquar,

— — — nimio cursu fluit impetus alui;

et vel sanguis aluinis fecibus diuersimode remixtus, ex aluo profuit, vel  
insignis simul mucii copia ingenti vi protruditur, vel bilis tandem acris atque  
irritans, quae

— — — insigni lamia praecordia morsu e)

emittitur. In hac dysenterici morbi specie purulentos interdum etiam hu-  
mores, ac ulcerum, quae intestina occupant, crustulas excerni, atque  
haud raro intestinorum adco. membranas varie affici, dehonestari corro-  
dique solere putarunt; interdum autem ulcera in iis generari maligna, in-  
flammationem atque mortificationis metum inferentia, f) E quibus omni-  
bus nobis quidem satis constare videtur, istum morbum, quem veteres  
medici

ΝΥΜΦΟΝ ΓΕΜΥΣΑΕΥΜ *graece* editorum (Basil. 1538. fol.) parte V. p. 651.

Interdum autem (sed certe rarissime) solum alui profusum *δυσεντερίαν*  
appellasse videntur. conf. HIPPOCR. in *Epidem.* L. II.

d) cf. ALEXANDER TRALLIAN. Libr. III. cap. XX. in edit. lat. quae  
Basil. 1541. prodit; nec non GALENUS *de symptomatum causis*. Libr. III.  
cap. II.

e) in *praecipis de medicina* pag. 18. sec. edit. KEVCHEN.

f) *ibid.* p. 19.

f) Ὅσον δὲ, θερμωμένον τοῦ σώματος, καθαροὶ δριμύτη γενήσονται, τὸ  
τε ἕντερον ξύσταται καὶ ἐλκύνεται, καὶ διαχωρέσεται αἱματώδεις. τῆτο δὲ δυ-  
σεντερίη καλεῖσθαι νοῦσος χαλεπή τις καὶ ἐπικίνδυνος. Hippocrates, in  
Libr. III. *de dieta*, §. XIX. in Opp. edit. LINDEN. T. I. pag. 253.

medici *dysenteriam* vocauerunt, a nostro morbo dysenterico plurimis certe atque multifariis notis distinctum esse. Isti enim, ut iam setulimus, omne profluuium alui sanguinolentum *dysenteriam* appellauerunt, nos autem ventris fluxum mox mucosum, mox autem biliosum atque subinde cruentum, crebrum, cum *tenesmo*, torminibus *g)* atque febre ut plurimum aegrotos infestantem, sub *dysenteriae* nomine comprehendimus. *h)* Inuat itaque, quas recensuimus, dysenterici morbi species, paulo accuratiori prolixiorique sermone exponere: id autem, antequam satis apte appositeque fieri potest, *varias morbi nostri differentias*, quarum mentionem veteres iniicere, paucis tantummodo comprehendere iubet.

## §. II.

### *Variae dysenterici morbi differentiae.*

Sive decursum spectes, sive ipsius morbi indolem, eum multis profecto modis distingui debere, facillimo negotio reperies. Mox enim *primarium morbum* dysenteria constituit, mox autem siue funesto omine, siue faustis cum auspiciis aliis morbis superuenire assuevit. Interdum certis dierum reuolutionibus aegros exercuisse dicitur, id quod in calidis praefertim regionibus frequenter euenire solet. *i)* Saepissime autem celer, subinde tamen etiam tarda haec passio esse, *k)* et vel cum magno dolore, vel, ut ex rarioribus exemplis constat, nullo plane doloris sensu coniuncta esse solet. *l)*

A 2

Eam

*g)* Ea tamen dysenteria, quam CELSVS, Libr. IV. cap. XV. sub *torminum* nomine descripsit, nullo plane modo a nostra differre videtur.

*h)* Hinc iam, et ex iis, quae mox exponemus, apparet, eos, qui dysenteriam veterum cum recentiorum de hoc morbo opinionibus mirum et incredibilem paene in modum conuenire asseuerent, in grauissimam erroris culpam incurrere, eorumque opinionem sanae rationi atque veritati vix ac ne vix quidem consentaneam esse.

*i)* vid. G. CLEGHORN in *observat. on the epidemical Diseases in Minorca*, p. 227.

*k)* vid. COEL. AVRELIAN. *diuturn. morbor.* L. IV. c. VI. T. II. p. 323. in edit. PERILL. HALLERI. cf. HOLLERII *commentar. in Aphorism. HIPPOCR.* Sect. III. VI.

*l)* de qua vid. HIPPOCR. in *Epidem.* L. II. atque G. W. WEDELIVM, in tractatione, quae *miscell. Acad. N. C.* inserta legitur; nec non AETIVM, in *Tessrabibl.* III. *Serm.* I. cap. 43.

Eam aetatis tempore frequentissime grassari, autumno autem rarius homines infestare, (ARETAEVS *m*) refert, et vernam denique dysenteriam rarissimam esse, idem auctor asserit. Saepissime etiam accidit, ut in omne vulgus diuagetur, et popularem morbum constituat, qui aut omnes, nulla plane aetate excepta, corripit, ut adeo

*Quo propior quisque est, seruitque fidelis aegro*

*In partem lethi citius veniat; n) — —*

aut aetatibus solummodo quibusdam maxime mortiferus est, *o*) atque familiaris, iuuenibus nempe, iisque, qui in media aetate constituti sunt. Vario etiam modo distinxerunt veteres medici dysenteriam ulcerosam ab ea, quae cum nullo plane ulcere est, atque, quum ad ulcerum differentiam in curanda intestinorum difficultate animum maxime aduerterent, eam quam accuratissime definiuerunt. Hinc eam dysenteriam mortis periculum longe citius asserere credidere, ubi tenuia intestina profundis ulceribus affecta sunt; ex ulceribus autem crassa intestina occupantibus, longe minorem mortis metum instare putauerunt. Plurima tandem inter ea, quae ii, quos dysentericus morbus exercet, ex aluo emittunt, discrimina intercedere, veteres statuerunt. Sic nigricantes feces atque foetentes periculosissimas esse, pituitosas autem atque biliosas longe minorem mortis metum asserere crediderunt; ac omnes denique dysentericorum deiectiones vel meracas, vel varie inter se commixtas esse, existimarunt. Quae omnia, quum solertiori explicatione dignissima sint, paulo accuratius exponere placet, ac antea quidem factum est. Quam autem rem antequam aggrediamur, varias dysenterici morbi species, quae veteribus cognitae fuere, pertractare animus est.

Enim-

*m*) V. ARET. de causis, et signis diuturni morbi. Libr. II. c. IX. nec non AVICENNA, Libr. I. Fen. II. doctr. II. cap. VII.

*n*) OVIDIUS in Metamorphosis. Libr. VII.

*o*) Sic pueris difficultatem intestinorum maxime funestam esse, refert HIPPOCRATES, in prorrheticis. L. I. §. 30. nec non AETIUS in tetraab. III. Serm. I. c. 43. p. 495, C. in collectis. HENR. STEPHAN. qui ab ulceribus serpentibus atque exedentibus frequenter eos opprimi perhibet, huiusque rei causam in calido eorum ac humido corpore latere asserit.

Enimvero, cum GALENVS istas iam summo cum studio expedierit, morbumque hunc nostrum in *sanguineum, hepaticum, atrabilarium* atque *ulcerosum* denique diuiserit, *p*) doctum hunc atque idoneum virum in constituendis huius dysenterici morbi speciebus fecuti sumus.

### §. III.

#### *Species prima GALENI. Dysenteria sanguinea.*

In hac autem aegritudinis specie, quam HIPPOCRATES COVS iam *rubram dysenteriam* (*δυσεντερίαν ἔρυθρὰν*) *q*) GALENVS autem *sanguineam* vocauit, sincerum, et nulla plane mala labe contaminatum sanguinem profundi, veteres statuunt. *r*) Adeoque haec sanguinis profusio nullo modo a statu corporis humani sano aliena est, nisi si locum, qui sanguinem emittit, respicias, et ipsius sanguinis, quam aegri reddunt, quantitatem. *s*) Hinc profecto mirum non est, quod salutare hoc profusum, atque cum nullo plane malae notae symptomate, *cibi* verbi causa *fastidio* et aliis eiusdem generis, coniunctum esse, idonei viri retulerint. *t*) Sanguis autem, quoniam per intestinales venas euacuatur, *u*) morbum hunc haec

A 3

*p*) GALEN. de sympt. caus. L. III. c. VII. conf. PAVLVS AEGINETA Libr. III. cap. XLII. p. 461, B. in coll. HENR. STEPHAN. atque ORIBASIVS in *Synops.* Libr. IX. cap. XII. p. 139, D. in ead. collect. qui cum GALENO ex omni fere parte consentiunt.

*q*) V. HIPPOCR. in *Epidem.* Libr. II. p. 1034, B. in edit. FOESIL.

*r*) Verum et his quidem sincerus sanguis excernitur, similis ei, qui ab hostia interfecta profundi consuevit, modo *inferne* per aluum, modo per superiores etiam partes. GALEN. de locis affectis, L. V. c. VII.

*s*) Atque hoc quidem excrementum quantitate sola est alienum. GALEN. de *sympt. caus.* L. III. c. 2.

*t*) Si repente sanguis multus deicitur, scire licet, apertionem orificiorum venarum, natura quod grauabat, excernente, contigisse. — Neque fastidio cibi laborantes haec tormina afficiunt, quemadmodum quum ex jecinoris imbecillitate huiusmodi deiectiones oboriuntur. V. GALEN. in *commentar.* IV. in HIPPOCR. L. de articulis in Opp. P. V. p. 652. sec. ed. HIER. GEMUSAEI.

*u*) vid. GALEN. in *commentar.* II. in. L. VI. HIPPOCR. de morb. popularib. et eiusd. *commentar.* III. in HIPPOCR. *Epidem.* L. III.

morrhoidum fluxui simillimum reddit. Qui tamen, quum a venarum, quae in ani confiniis positae sunt, ostioliis ampliatis dilatatisque proficiscatur, facillime ab ista sanguinis profusione, quae a venarum, qualiacunque intestina percurentium extremis perforatis contrahitur, \*) distinguui se iungique potest.

Haec autem sanguinis profusio, qua ARETAEUS \*) teste, senes frequententer corripuntur, verno tempore, et abundante sanguinis copia, facillime contrahitur; \*\*) et interdum adeo certis periodis recurrere solet. y) Id quod inprimis accidit, si a qualicunque causa tanta sanguinis copia in visceribus praeparata est, quantam vasa corporis nostri continere nequeunt.

Frequentissime vero hic morbus, quem salutiferum merito vocare licet, quique, nisi, (quod tamen rarissime euenit) omnis sanguis, qui in corpore continetur, ex intestinis profluat, z) nunquam quos corripit, necat, post abscissos articulos, GALENO a) atque GVIL. FABRICIO HILDANO b) testibus, contrahitur, et sanguine omni, qui exsuperat, per venas emisso, vel remittit, vel aucta alia quadam excretionem, qua superuarii humores eiiciuntur, penitus tollitur. Neque iis sanguinolentum hoc alui

x) GALEN. in commentar. IV. in HIPPOCR. Libr. de artic.

\*) V. ARETAEVS de caus. et sign. diut. morbor. L. II. c. IX. pag. 62, D. in edit. HERM. BOERHAAVE.

\*\*\*) V. GALEN. in commentar. I. in HIPPOCR. L. de natura humana.

y) vid. GALEN. de sympt. caus. Libr. III. cap. VII. pag. 96. in T. VII. edit. CHARTER.

z) In insula Balearica minori tale quid interdum euenire, G. CLEGHORN, in libro supra iam allegato refert. Neque tamen haec sanguinis profusio cum ea confundi debet, quam ab vlcibus, venas arteriasque intestinorum exedentibus, contrahi, ARETAEVS perhibet. Illius verba his adiacere placet: αἰμορροαγίη δὲ ἀπ' ἐντέρων inquit, ἢν μὲν μεγάλης φλεβὸς ἢ ἀρτηρίας ἔη, αἰκὴς ὁ θάνατος. v. L. II. de caus. et sign. diut. morbor. c. IX. pag. 62, B. in edit. H. BOERH.

a) de sympt. caus. L. III. c. 2. Eos, qui febre detinentur, interdum in dyfenteriam hanc incidere HIPPOCRATES (Coac. 176.) perhibet.

b) in observ. Centur II. obs. 59.

aloi profluuium infrequens est, quibus ulcera, quae sanguinem antea effuderant; vel ob sanguinem in iis collectum, profundo rubore suffusa videbatur, siue exsiccantur *e)* siue subito resoluta et albida apparent. *d)* Sic etiam interdum accidit, ut mulieres, quibus menstrua purgatio a qualicunque causa suppressa erat, in hoc profluuii genus inciderent, *e)* quod simul ac vteri purgatio denuo ex voto succederet, penitus statim sublatum est. Et ii denique crebris huius morbi insultibus obnoxii sunt, qui, cum corpus antea continuis fere motibus agitassent, validisque exercitationibus assueti fuissent, tranquillam atque ab omni turba alienam vitam degunt, ac a quocunque corporis exercitio diligenter sibi cauent; Hi enim quoniam tantam adhuc ciborum multitudinem ingurgitant, quantam, cum corpus suum fortiter mouerent, ingerere consueuerant, nisi nimium vitium diligenter sibi ipsis circumscindant, in hunc *plenitudinis morbum* quam saepissime incident.

#### §. IV

*Altera GALENI species. Dysenteria hepatica.*

Illam autem aegritudinem, quam *dysenteriae* speciem constituere, veterum medicorum haud pauci asseuerarunt, *f)* cum eo morbi genere, quod *fluxum*

*e)* Προσδέχσθαι δὲ χρῆ τούς τοιούτους ἀνὰ χρόνον ὑπὸ δυσεντερίας πιέζεσθαι. καὶ γὰρ ἐπὶ τοῖς μελαινομένοισι τοῖσι πλείοσιν ἐπιγίνεται δυσεντερία καὶ ἐπὶ τῆσιν αἰμορρογίησιν ἐξ ἐλκῶν. ἐπιγίνεται δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, κενεμένων ἤδη καὶ τῶν μελασμῶν καὶ τῆς αἰμορρογίης. καὶ ὀρεῖται μὲν λαύρως καὶ ἰσχυρῶς, ἀτὰρ οὔτε πολὺν χρόνον γίνεται, οὔτε θανάτῳδης. οὔτε γὰρ μάλλα ἀπόσιτοι γίνονται οἱ τοιοῦτοι, οὔτε ἄλλως ξυμφέροι κενεαγγέειν. HIPPOCRAT. περὶ ἄρθρων §. 81. p. 838. in T. II. edit. Linden.

*d)* v. HIPPOCRATES in Aphorism. S. V. LXV. in Opp. Tom. I. pag. 97. conf. GALENI commentar ad hunc loc.

*e)* Ac solet quoque mulieribus retentis mensibus huiusmodi per sedem vacuatio fieri; atque interdum eandem ob causam per vomitum quoque quibusdam mulieribus. — GALEN de loc. affect. L. V. Cap. VII.

*f)* Plurimi licet veterum medicorum morbum hunc ad *dysenteriam* retulerint, id tamen de omnibus antiquioris aevi medicis asseuerare non licet. Sic



*fluxum hepaticum* nostris temporibus medicinae professores vocant, ex omni parte, vt nobis quidem videtur, conuenit. In symptomatibus autem, quae huic morbo superuenire consueuerunt, enarrandis, ac in causis, quae huic profusioni producendae idoneae putantur, inuestigandis, veteres non tantam tamque praeclaram diligentiam posuisse videntur, qua in enarrandis caeterorum fere omnium morborum historiis recentiorum medicorum industriam longe adhuc superarunt. Neque enim, si libros eorum euolueris, trita illa, simplici atque aperta via in hoc morbo describendo eos processisse inuenies, qua a symptomatibus, quae a morbo excitantur, ad causas, quae illum produxere, concluditur, sed causis morbi positis, quaecumque fere lubuit, symptomata, apposuerunt. Hinc inprimis factum esse putamus, vt in istis, quae talibus aegris contingere solent, exponendis non tanto tamque multifario studio elaborauerint. Enimvero jecur mox calidum nimis existere, mox autem nimio humorum impetu rigari relaxarique; mox frigus sibi alienum contrahere, et mox denique nimia siccitate consumi ac fere comburi existimauerunt. Ex ea autem huius visceris facultate, qua humores attrahere atque retinere putabatur, imminuta, vel penitus abolita, g) *hepaticam* hancce *intestinorum difficultatem* origines suas potissimum ducere referunt; illamque multum accelerari, si ea simul facultas, qua ciborum potulentorumque genera varia diuersimode transmutari dicebantur, in muniis suis exsequendis lente ac cunctanter age-

ret

CELSVM, COELIVM AVRELIANVM atque THEODORVM PRISCIANVM huius aegritudinis nullam plane mentionem iniecisse admodum credibile est; quippe qui sub *dysenteriae* nomine temper fere grauem intestinorum affectionem, immo exulcerationem intellexisse videntur. Huc recedit, quod inter ipsos veteres de hac *intestinorum difficultate* non accurate satis conueniat. Quidam enim medici antiqui ALEXANDRO TRALLIANO teste (L. VII. c. 21. pag. 131. edit. IAC. GOVYLI Paris. 1548. fol.) ab huius morbi symptomatibus decepti, illius sedem non in jecinore, sed in intestinis positam esse putarunt, adeoque ipsum hunc morbum *dysenteriae* nomine insigniuerunt.

g) V. PAVL. AEGINETA Libr. III. c. 41. pag. 461, B. in collect. HENR. STEPH.



ret. <sup>l)</sup> Quam ob causam ab aegris cruenta demitti, atque loturae car-  
 nium recenter macatarum simillima, statuerunt <sup>l)</sup> Doloris autem sen-  
 sus in hoc morbi genere interdum fere nullus est, (interdum autem in-  
 testina acerbè dolere, GALENVS <sup>k)</sup> probat,) ac neque desidendi desi-  
 derium, neque tenesmus aegrotantes frequenter exercent. Jecinoris regio  
 tumida atque ob jecur male affectum, elata est, ipsumque jecur grauate  
 quodam atque molesto doloris sensu affici solet. <sup>l)</sup> Nec subitanam mor-  
 tem hoc malum affert, verum lentas insidias fruit, ac febricula tandem su-  
 perueniente, totum corpus consumit, aegrosque jugulat. Interdum accidit,  
 ut aliquamdiu sileat morbida hæc alui deiectio, dein autem intensa vi recrudescit.  
 Frequenter etiam iis, qui hoc morbo misere vexantur, evenit, ut cras-  
 sas atque coactas feces emittant, quibus biliosi interdum humores immixti  
 sunt. Interdum *intestinorum particulae*, quas *ζύσματα* veteres, GA-

LENO

<sup>h)</sup> Εἰ δὲ καὶ ἡ ἀλλοιωτικὴ δύναμις ἀσθενήσει, ὅμοια ἀποπλύματι κρεῶν  
 νεοσφαγῶν ἔψει τὰ διαχωρούμενα· καὶ καλεῖται τὸ πάθος τοῦτο ἡπα-  
 πατικὴ δυσεντερία. Versionem huius loci latinam his adiacere placet:  
 At si ea jecinoris facultas, qua cibis potibusque mutantur, inferior existat, alui  
 sedimina aquae, in qua recens macerata caro lota est, simillima deieci solent.  
 vid. ALEXANDR. TRALLIAN L. VIII. c. 21. p. 130. in Ed. IAC. GOV-  
 PYLI, quae Graece Paris. prodit. 1549. in fol.

<sup>g)</sup> vid. PAVLVS AEGINTA Libr. III. cap. 42. pag. 461, B. in coll. H. STE-  
 PHAN nec non Libr. III. cap. 46. pag. 468, G. ORIBASIVS, in *Synops.*  
 Libr. IX. cap. 12. pag. 139, E. in ead. coll. et GALENVS denique, *de*  
*locis affect.* L. II. c. 5. sub fin.

<sup>k)</sup> -- ὀνομάζεται δὲ ἡ τοιαύτη τῶν ἐκκρίσεων ἰδέα πρὸς ἐνίων δυσεντερία.  
 καὶ γὰρ οὖν καὶ δάκνεται πολλάκις ὁμῶς τοῖς δυσεντερικοῖς. —  
 Vocatur autem haec excretionum species (quae ab imbecillo jecinore proficif-  
 citur) a quibusdam dysenteria. Et certe saepius evenit, ut eandem doloris vim  
 aegroti experiantur, qualem dysenterici. v. GALENVS in Libr. III. *de sym-  
 ptomatibus causis*, cap. VII. pag. 97, C. in edit. CHARTER. T. VII.

<sup>l)</sup> vid. ACTVARIVS, Libr. IV. *de method. medend.* cap. VI. pag. 228, E. in  
 collect. HENR. STEPHAN.

LENO teste <sup>m)</sup>) nuncuparunt, simul egeruntur. *Post principium autem, inquit, quocunque modo res accesserit, et aeger maxime cibum fastidit, et sanguis modo purus, et non multus, modo flavae bili immixtus, simul cum deversa intestinorum pinguedine deiciitur: postea quasi sex sanguinis descendit, ubi jecur jam pessime se habet. Sub huiusmodi ergo dejectionibus, praesertim, ubi bilis aliquid admixtum fuerit, quaedam ipsius intestini partes excernuntur, quas, ζύσματα vocant; nam quae per intestina descendunt, eo, quod acria sint, summam ipsorum partem erodunt, in quo casu, quanta maxime potest, abstinentia imperanda est.*, Nigrum interdum, et splendidum cruorem ab aegris demitti PAVLVS <sup>n)</sup>) atque ORIBASIVS <sup>o)</sup>) asseuerant. — Calidam jecinoris intemperiem accuserunt veteres, si colliquatio humorum oboriretur, ipsaque hepatis caro consumeretur. Tunc bilem crassam, graueolentem atque profunde coloratam excerni, <sup>p)</sup>) febriculam oboriri lentam, aegros cibum omnem auersari, et bilem vomitu reiecere perhibent. <sup>q)</sup>)

*Frigida autem intemperie jecur affici, ex iis potissimum concludere notis licet. Quae concitatore paulum motu alius emittit, neque tam foedum odorem spargunt, neque multis humoribus remixta, sed crassa potius reperiuntur, et atrae bili simillima existunt. Quoad colorem autem varia*

<sup>m)</sup>) Μετὰ δὲ τὴν ἀρχὴν ὀποτέρως ἂν γενομένη, ἅμα τῷ καὶ ἀνερεκτοῦ ἐσχάτως αὐτοῦ ἐκκρίνεται, ποτὲ μὲν αἷμα καθαρὸν οὐ πολλὸν, ποτὲ δὲ καὶ μετὰ χολῆς ξανθῆς αἷμα τοῖς τῶν ἐντέρων ἀποξυόμενοις πιμλαῖς, εἴτα πάλιν καὶ μετὰ ταῦτα, καὶ οἷον τρυξ αἵματος, ἥνικα δὲ κακῶς ἔχει τὸ σπλάγχνον, παχύς. ἐπὶ δὲ τοῖς τιαύταις ἐκκρίσσει, καὶ μάλιστα ὅταν ἔχωσι τι καὶ χολῆς, αὐτῶν τῶν ἐτέρων συνεκρίνεται τὰ μέρη τὰ καλούμενα ζύσματα, ἐπιπολῆς αὐτῶν ἀποξυούσης τῆς δριμύτητος τῶν ἐντέρων διαχωρουμένων ἐπὶ μὲν οὖν τῶν τισούτων λεπτοτάτης διαίτης ἐστὶ χρεῖα. GALEN. in comment. IV. in HIPPOCRATIS Libr. de articulis, pag. 452, C. in Tom. XII. edit. CHARTER.

<sup>n)</sup>) PAVL AEGINET. Libr. III. c. 42. pag. 461, B. in coll. H. STEPHAN. conf. ARETAEVS, de c. et f. diut. morb. L. 13. p. 42.

<sup>o)</sup>) ORIBAS. in synopsis. Libr. IX. cap. XII. pag. 139, E. in collect. H. STEPHAN.

<sup>p)</sup>) ORIBASIVS, in synopsis. Libr. IX. cap. XX. pag. 141, D. in ead. coll.

<sup>q)</sup>) PAVL. AEGINET. Libr. III. cap. 46. pag. 469, A. in coll. H. STEPHAN.

varia sunt. Febricula simul aegros detinet, et omnis faciei nidor ruborque in liuorem commutatur. Ciborum desiderium auctum interdum reperitur. Si autem, quod rarissime euenit, sicca intemperies huic adjuncta appareat, aegri siti magis torquentur, atque sicciora ex aluo demittunt. r)

Ad *hepaticae dysenteriae* speciem illa quoque intestinorum difficultas, quam *rheumaticam* ALEXANDER r) vocauit, referri debet. Namque eam fieri perhibet, si humores ex meseraicis venis ad intestina percurrerent, atque acredinem, sitim, corporis deliquium, et alia symptomata, immo *ulcerosam* interdum *dysenteriam* inducerent.

Caeterum si quid video, variarum illarum atque ab ipsa natura aliquo modo alienarum de hac *hepatica deiectione* opinionum origines exinde potissimum explicandae sunt, quod jecur alimenta attrahere, concoquere, in totum corpus distribuere, aliisque adhuc muniis fungi veteres crediderint, quae ab aliis visceribus perfici, recentiorum demum medicorum industria expeditum est.

#### §. V.

##### *Tertia GALENI Species. Dysenteria atrabilaria.*

De hac *intestinorum difficultate* pauca tantum litteris consignarunt medici veteres, quae passim sparsa quum in monumentis eorum occurrant, colligere, et succincte exponere placet. Namque, quoniam HIPPOCRATES t) illius iam meminit, ac ex ea GALENUS u) adeo singularem dysenterici alui fluxus speciem constitui debere expedituit, haud paucos fore putauimus, qui hunc laborem nostrum aliqua reprehensione dignum iudicassent, si derelicto GALENI ordine, ad vltimam statim huius

B 2

r) vid. PAVLVS AEGINET. l. cit. ead. pag.

s) ALEX. TRALLIAN. Libr. VIII. cap. VIII. p. 251, A. in collect. HENR. STEPHAN.

t) V. HIPPOCR. Aphorism. IV. 24 p. 84. in T. L. edit. LINDEN.

u) Differentiae sanguinolentae excretionis quatuor in vniuersum sunt. — *tertia*, quum sanguis atrabilarius atque splendens demittitur. v. GALEN. de *sympt.* caus. L. III. cap. VII.

hulus morbi speciem exponendam animum appuliffemus. Vt autem omnium morborum initia, vbi bilis atra vel per vomitum reiciitur, vel ex alio deponitur, mortem afferre \*) statuerunt medici veteres, sic etiam in hoc morbo vnanimi fere confensu, nullam plane, vel perexiguam saltem salutis spem effulgere, affirmarunt. \*) Nec, vt in acutis euenire consuevit, haec intestinorum difficultas celeriter decurrere solet, verum, si vlla fides veteribus medicis est, vlcera in intestinis vt plurimum excitat, quae in *can- crum* y) tandem degenerant, atque miserrimam mortem aegris inferunt. Intestina autem continuo morfu vellicat atque adurit morbifera materies, et quae egeruntur, nigro sanguinis coagulo simillima reperiuntur, atque atra, nitida,

\*) Νεσμήατων ούσων ἀρχομένων, ἢν χολή μέλαινα ἢ αἷον ἢ κίτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον. Si sub quoruncunque morborum initio atra bilis vel fursus vel deorsum proderit, mortiferum est. HIPPOCRATES in Aphorism. IV, 22. p. 84, in Opp. Tom. I. Alio autem loco easdem deiectiones in quocunque morbi genere pessimas esse asseuerat Celsus. Senex, ὑποχωρήματα μέλαινα inquit, ούσιον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτε ἰόντα, καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ αἴσῃ πυρετῷ, κίσις. Egestiones alui nigrae, quae sanguinem nigrum referunt, si sua sponte et cum fibrē, et sine fibrē proderint, pessimae sunt. Sanari tamen posse morbum adhuc recentem, neque omnes aegros ab eo iugulari, RHASES (diuis. L. I. c. 68. p. 392. Ed. Basil. ab ann. 1544.) perhibet. Cum eo penitus fere consentit AETIUS, (Terrabil. III. Serm. I. c. 43. pag. 494. C. in coll. H. STEPHAN) cuius verba inferere placet. Dysenteria inquit, si ab atra bile initium sumat, si quidem ratione iudicationis febrilius morborum atra bilis excernatur, transiūque suo intestinum distendat, etiam haec curare non desperamus. Si vero sua sponte, nullo praecedente febrili morbo, neque concoctione bona apparente, atra bilis excernatur, inmedicabilis dysenteria ex ea oborta existit.

\*) cf. GALEN. in L. de atra bile, cap. V. HIPPOCR. in Aphorism. S. IV. 24. δυσεντερία, ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἀρχῆται, θανάσιμον.

y) vid. PAVLVS AEGINETA Libr. III. cap. 42. p. 461, A in coll. H. STEPHAN. nec non ORIBASIVS in Synops. Libr. IX. cap. XIV. p. 140, A in coll. ead. ACTVARIVS, in Libr. I. de methodo medendi, cap. XX. pag. 162, B. et denique AVICENNA, in Canonis Libr. III. fen. XVI. Tract. I. cap. 2. pag. 810, Tom. I. edit. quae Venet. apud IUNTAS 1595. in fol. prodit.

nitida, crassa ac tenacissima sunt. Terra, quam continent, admodum copiosa est. Odor, quem feces, quas concitatis paululum motibus alius emittit, edunt, cum aceti odore <sup>2)</sup> perfecte convenit. Hae autem quoniam ob irritationem, qua intestina afficiunt, continuis vehementibusque doloribus aegrotantes excruciant, atque omnes fere vires prosterunt, certe non mirum est, quod aegris omnis fere cibi cupiditas auferatur, cor tremoribus occupetur, anima subvertatur, languescat, immo, (quod haud raro accidit), deficiat. <sup>a)</sup> Interdum etiam feces nigras demisere aegri, quae, licet neque acetum redolerent, neque, dum in terram deiicerentur, aereas bullas emitterent, nihilominus tamen mortem attulere, ac post varias mentis conturbationes atque defectiones funestum tandem animi deliquium inducere, quo oppressi, quam celerrime aegrotantes interierunt. <sup>b)</sup>

Atram hanc materiem mox ex cruore in coagulum redacto ac splendente componi, mox autem ex terreis humorum corporis nostri particulis, quae fluida parte dissipata, subident, remanent atque coeunt, consilari veteres medici statuerunt. Istam denique, si mortiferus hic morbus oboriretur, ab hepate attrahi, concoqui et magis adhuc aduri; deinde autem a iecinore dimitti atque in intestina propelli aesseuerant. <sup>c)</sup>

## §. VI.

### *Quarta Species GALENI. Dysenteria ulcerosa.*

Proximum est, ut de ea intestinorum difficultate dicam, quam ab ulceribus intestina occupantibus proficisci veteres medici perhibent. Eam autem **ARETAEVUS**, <sup>d)</sup> **COELIVS AVRELIANVS**, <sup>e)</sup> **THEODORVS**

B 3

PRISCIA-

<sup>2)</sup> vid. RHASES in *divis. Libr. I. cap. 68. p. 392.*

<sup>a)</sup> cf. AVICENNA L. IV. *Fen. II. Tr. I. cap. 92, p. 99.* in Tom. II. edit. allegat. nec non in Canon. L. III. *Fen. 16. Tr. I. pag. 814.* in T. I.

<sup>b)</sup> AVICENNA l. cit. pag. 814. in T. I.

<sup>c)</sup> vid. GALENVS in *Libr. de symptomatum causis*, III, cap. II. et in *Libr. V. de usu partium*, cap. X.

<sup>d)</sup> *de caus. et signis diurnorum morbor.* Libr. II. cap. IX. pag. 59, E. in edit. HERM. BOERHAAV.

<sup>e)</sup> *chronicor. morbor.* Libr. IV. cap. VI. pag. 323. in Tom. II. edit. PERILL. HALLER.

PRISCIANVS f) alique veteres medici \*) vel solam dysenteriae nomine appellandam esse statuunt. Ipse vero morbus, siue symptomata, quae in illo obseruari consueuerunt, respicias, siue ad ea animum aduertas, quae ab alio descendunt, plurimis notis a se ipso distinctus est. Interdum enim, quod creberrime accidere solet, calida atque varia labe corrupta bilis intestinorum fibris vim infert, easque mox leuiter irritat, mox autem grauissimis moribus vellicat; interdum vero tenues, aquali atque mucosi humores, qui sanguine conspurcati, atque strigmentis renixti sunt, descendere solent. h) Pituita, quae demittitur, mox putrida corruptione infecta est, mox vero tenacissime ventriculo atque intestinis adhaeret, in iisque continuam et magnopere nociuam irritationem atque inflammationem excitat. i)

Quaecunque autem egeruntur, primum meraca sunt, et nulla plene; vel exigua solummodo sanguinis strigmenta continent; postea autem, tam ob intensam materiae descendens acredinem, quam ob vasculorum, quae sanguinem vehunt, laxitatem, sanguis vna cum fecibus secedit, qu tandem, cum vel negligitur morbus, vel pertinaciter remediis ad sanandum

f) Libr. II. cap. XVIII. pag. 64. in edit. quae ARGENT. cum ALVCASIS Chirurgia 1532, in Fol. prodiit. In duas species, *ulcerosam* nempe atque *sanguineam* dysenteriam diuidi posse, GALENVS asserit, in *comment.* III. in Libr. III. HIPPOCRATIS *de morbis popularibus.*

\*) Gal. de sympt. caus. III. 7. pag. 97. D. in Opp. ed. Charter Tom. VII. — τῆς τεταρτης δὲ τῶν νῦν εἰρημένης, ἐκλωσις ἐντέρων, ἐστὶν ἢ διαΐσσις, ταύτην καὶ μούνην ἀξιουσί τινες ὀνομάζεσθαι δυσεντερειάν.

g) vid. ACTVARIVS, *de methodo medendi* Libr. I. cap. 20. pag. 161, H. in coll. H. STEPH.

h) Ex exemplis haec demonstrauit HIPPOCRATES in Libr. III. *de morbis popularibus*, pag. 725. in Opp. Tom. I.

i) Conf. GALENVS in *comment. in Aphorism.* HIPPOCR. III. 12. nec non in *comment.* III. in III. Libr. HIPPOCR. *de morbis popularibus*; et SENNERT in *Med. pract.* L. III. p. II. S. II. c. VII. Bilem exulcerationem XIV. diebus facere, saliam pituitum XXX. et atram bilem denique XL. diebus, Aui-cenna, *Can. 2. feu. 3. n. I. c. 2.* refert. cf. HERCVLES SAXONIA in *prael. pract. parte II. cap. 19. p. 176.* in Opp. ed. Patavin.

dum illum adhibitis resistit, in saniem et purulentam denique proluuiem degenerat. *k*)

Febris, caeteraeque huius morbi accessiones si absint, nullum plane periculum infert morbus, atque in pristinam valetudinem aeger breui restituitur. \*) Neque anceps statim atque difficilis morbus iudicandus est, si sanguinem, qui in omni fere dysenteria deici solet, aeger emittit. Ea autem omnia si vehementer vrgent; si doloris vis insignis existit; si aluus acria, spumosa, multa cruoris copia referta, pinguis atque saniosa emittit; si *tenesmus*, qui continuum fere huius morbi symptoma est, aegrum vehementer exercet; si stridula aluus atque sonora est, *l*) longe maius vitae periculum subesse indicat.

Origines autem huius morbi veteres medici semper fere inde in primum explicandas esse putauerunt, quod bilis atque pituita, quae antea in toto corpore diffusae erant, in venis tandem abdominis colligerentur, atque in intestinis accumularentur firmarenturque. *m*) Hos autem humores, dum vel aliis obuoluerentur, vel quacunque demum ratione fieret, mites redderentur, nulla mala inducere crediderunt: Statim vero, simul ac intestina ab iis irritarentur, vel tenesmus, vel alui profluuium produci, ex iisque deinde dysenteriam oboriri, si ob oscula vasculorum, quae in intestinis sunt, perforata, egestionis sanguine remixtae descendere. *n*)

Si recte veterum mentem assequor, *ulcerosa haec intestinorum difficultas* satis commode in tria stadia dispesci potest. Siquidem in primo stadio intestina leuiter tantummodo irritantur, et cum aluinis fecibus adiposa et cruenta

*k*) vid. PAVL. AEGINET. Libr. III. cap. 42. p. 461, C. in collect. HENR. STEPHAN.

\*) Absque omni febre dysenteriam interdum esse, docuit FERNELIVS, L. VI. de part. morb. et symptomat. cap. X. conf. ACKENSIDE, in commentar. de dysent. pag. 4. ac GESNER denique, *Vir celeb. in seinen Beobachtungen aus der Arzneigelahrtheit und Naturkunde, Band I. Seite. 20.*

*l*) HIPPOCRATES in prognost. §. XIII. pag. 455. in Opp. T. I.

*m*) vid. HIPPOCRATES de affectionibus §. 24. pag. 176. T. II. in Opp. (2)

*n*) PAVLVS AEGINETA, Libr. III. cap. 42. pag. 460. in coll. allegat.

ta paululum descendunt; in altero autem intestinorum *vamenta* (ξύματα) deiiciuntur, quae ex intima intestinorum tunica, quam tenerrimam esse, et facillime secedere, medicinae parentes referunt, componuntur. In tertio denique ac ultimo huius morbi stadio, quod mortem constanter fere affert, omnis intestinorum substantia excerni solet, et *carunculae*, quas *σάβυλας* HIPPOCRATES <sup>o)</sup> vocavit, descendere assueverunt. <sup>p)</sup> Ea omnia prolixiori nunc sermone explicabimus.

## §. VII.

### *Primum dysenteriae vicerosae stadium.*

Ea autem, quae in primo huius morbi stadio descendere solent, COELIO AVRELIANO teste, <sup>q)</sup> humida atque pingua sunt, crassiuscula, mu- culenta, et (vt saepissime contingere solet) tenacia paululum, atque bile cor- rupta remixa reperiuntur. <sup>r)</sup> Interdum accidit, vt stridula alius aquosos atque tenes humores emittat, <sup>s)</sup> interdum autem nitentia stercora, quae al- bida quoad colorem sunt, ALEXANDRO TRALLIANO teste, <sup>t)</sup> ab aegris deiici solent. Ea mox accerrima feculentaque sunt, et ob grauem, quem spirant, odorem, aegris admodum molesta existunt; mox autem cum iis salsi atque viscosi humores, qui intestina obsident <sup>u)</sup> atque abster- gunt

<sup>o)</sup> vid. *Aphorism.* Sect. IV. 26.

<sup>p)</sup> Haec tria huius morbi stadia iam GALENVS recensuit (vid. eius *comment.* in IV. Aph. HIPPOCRAT. Sect. 26. et Libr. VI. *de locis affectis* cap. II.) et omnes sane dysenterici alui fluxus historiae, quae in veterum libris pro- stant, commode satis in haec stadia redigi possunt.

<sup>q)</sup> *Chronicor. morbor.* Libr. IV. cap. VI. pag. 323. in Opp. T. II. edit. Perill. ab HALLER.

<sup>r)</sup> Biliosa primum, et varia in omni dysenteria descendere, inter alios FAV- LVS AEGINTA, Libr. III. cap. 62. pag. 182. sec. Ed. Basil. ab ann. 1533. fol- perhibet.

<sup>s)</sup> HIPPOCR. *Epid.* Libr. I. aegr. X. pag. 681. in Opp. T. I. conf. HIER- MERCVRIAL *Pisan. praelect. in Epid. historias* HIPPOCR. pag. 82. nec nou COELIVS AVRELIAN. loc. supra citat.

<sup>t)</sup> Libr. VIII. cap. IX. pag. 259. in *coll.* H. STEPHAN.

<sup>u)</sup> AVICENNA, in *canon.* Libr. III. Fen. XVI. Tr. I. cap. II. pag. 810. in Opp. Tom. I.



gunt \*) eorumque extremam inprimis partem vario modo torquent atque adrunt, y) excerni solent. Fecibus vero cruor, qui parca ut plurimum tantummodo copia in hac morbi dysenterici periodo egeritur, vel intime admixtus est; (quod tenuia potissimum intestina ab aegritudine affecta esse indicat) vel recrementis fere innatare videtur, (quod ea inprimis intestina aegrotare demonstrat, quae ano propinqua sunt. z) ; Deiciendi cupiditas iam in hoc stadio frequentior paululum, ac in statu naturali est, et *dejectiones cum aegri voluntate, et labore nimio perfici*, COELIVS AVRELIANVS iam retulit. Idem auctor aegros solidi cuiusdam corporis in ano sensu falli perhibet. a) Doloris sensus nunquam fere ab hoc morbo abest, et mox vehementer aegrum excruciat, atque totum ventrem occupat, mox autem mitior atque remissior esse consuevit. Interdum (quod vero rarissime euenit) nulla plane doloris vi aegri exercentur, b) interdum autem, (quod aequè rarum est,) sedes euerti solent. c) A pinguedine autem, quae intestinis adhaeret, eaque a noxis variis tuetur, corrupta ac liquefacta d) rugitus subpingues ac biliosi oboriuntur, ventriculi dolores excitantur, e) ciborum digestio subuertitur, atque omnis tandem eorum cupiditas depellitur

\*) GALEN. de locis affectis Libr. I. cap. 2.

y) RHASES ad Mansor. de re med. Libr. IV. cap. VIII. pag. 96. in Ed. Basil. 1544. fol.

z) ORIBASIVS, in synonym. Libr. IX. cap. 12. p. 139, C. in coll. H. STEPHAN. Leuem hanc sanguinis profusionem ex leui intestinorum erosione origines suas ducere veteres putarunt. Cf. Hercules Saxonia, in prael. pract. part. II. p. 176.

a) COEL. AVREL. CHRONICOR. MORBOR. L. IV. cap. VI. pag. 325. Tenefimum dysentericum alui fluxum ut plurimum praecedere, AETIVS (in tetra-bibl. III. Serm. I. cap. 43. pag. 494, D.) perhibet.

b) ARETAEVS, de causis et signis diuis. morbor. Libr. II. cap. IX. pag. 61. in ed. H. BOERHAAV.

c) HIPPOCRATES in prorrheth. Libr. II. §. 32. in Opp. T. I. pag. 511.

d) vid. AETIVS in scerabibl. III. Serm. I. c. 43. p. 494. in edit. cit.

e) HIPPOCRATES, in coac. VI. 56.

tur. f) Interdum euenit, vt sub initiis statim huius morbi aegri vomitu bilem eiiciant, quod malo omine fieri, HIPPOCRATES g) iam retulit. Requies aegris exigua tantummodo, et somnus fere nullus est. Febricula tenuis cum insigni lassitudinis sensu eos simul detinet, licet etiam in hac periodo nullam plane febrem saepissime obseruari, veteres medici asseuerent.

Vitae periculum in hoc morbi interuallo perexiguum est, vt adeo HIPPOCRATE h) atque CELSO i) testibus, *etiam grauida mulier non solum seruari possit, sed etiam partum seruare.* Si autem morbus negligitur, neque omnis cura in eo depellendo adhibetur, in vltima sua stadia transit, atque leuissima intestinorum vulnera in putrida et serpentina vlcera, quae nomas Graeci vocauerunt, facillime degenerant. k) — Quae senes exercet, dysenteria, ob malum eorum corporis habitum, difficulter depellitur, iisque AETIO l) teste, quam saepissime mortem infert.

### §. VIII.

*Alterum dysenteriae ulcerosae stadium.*

A prima morbi nostri periodo transitus ad secundam est, quae neque curatu tam facilis, neque tam tuta atque innoxia est, ac de priori retulimus. In hac enim intestina, quae antea leuiter tantum affecta erant, propter bilis, vel alius humoris, qui concitatoribus motibus ex intestinis ferri consuevit, acredinem m) multis noxis infestantur. Origines autem

f) vid. ALEXANDR. TRALLIAN. L. III. c. 20. in edit. Basil.

g) Coac. III. 292. δυσεντερειοῦ, inquit, ἐμστος χολιδος ἐν ἀρχῇ κακόν. i. e. Vomitus, qui in morbi dysenterici initio superuenit, malus est.

h) Ex exemplis rem probauit HIPPOCRATES, in Epidem. Libr. V. §. 49. in Opp. T. I. p. 870.

i) de re med. Libr. II. cap. VIII.

k) vid. ALEXANDR. TRALLIAN. Libr. VIII. c. IX. p. 257, D. in Coll. HENR. STEPHAN.

l) retrabibl. III. Serm. I. p. 495, D. in C. H. STEPHAN.

m) vid. ACTVARIVS de methodo medendi Libr. I. cap. 20, pag. 162, A. in Collect. HENR. STEPHANI. Quum bilis, inquit, perquam acris ac aestuans fuerit, et intestina affectibus excipiendis opportuna, ipsa inter egrediendum deglubit ac abradit.

tem tormentorum, quibus aegri in hoc dysenterici morbi stadio exerceri solent, inde potissimum explicandae sunt, quod ab *intestinorum erosione*, quam semper; in hac morbi periodo aegros experiri <sup>n)</sup> veteres referunt, multifaria, eaque vehementissima symptomata excitentur, in quibus dolor inprimis, atque *tensismus* <sup>o)</sup> eminent. Non omne autem intestinum a morbosa materie male afficitur, verum intima solummodo intestinorum tunica, quam *villosam* hodie vocant, decedit, atque pinguedo, quae internam intestinorum faciem lubricam reddit, simul abstergitur. <sup>p)</sup> Hinc, quoniam intestina vario modo torquentur, non mirum profecto est, quod febris continua accendatur, atque calor praeternaturalem in modum augeatur. Caeterum sitis intensa est, ac interpas partes mordax ardor vexat; pulsus arteriarum pleni atque accelerati reperiuntur, et ingentes dolorum molestiae omnes fere somni delicias ab aegrotante propulsant. <sup>q)</sup> Nulla fere, vel perexigua saltem aegris malorum requies est, et ob insignem, quam a perpetua irritatione, intestina contrahunt, debilitatem <sup>r)</sup> omnes, qui illis offeruntur, cibos, maximo fastidio auersantur. Interdum et in hac periodo aegri bilem vomunt, quod, ut supra iam retulimus, admodum periculosum est. Intensius autem vitae periculum subest, si vires simul deficiunt, si putrida ex aluo feruntur, atque omnis nervorum sensus oppressus, dolorque remissior est; <sup>s)</sup> si seculenta ramentis interposita sunt, atque os decolor, et oculi squalore liuido obduci observantur.

Quae autem permagno cum impetu ex aluo ferri solent, mordacia atque liquida sunt; malum plerumque odorem spirant, et colorem

C 2

si

- <sup>n)</sup> — Νοσέει δὲ καὶ τὸ ἔντερον, καὶ ζύεται — γίνεται δὲ αὕτη ἢ νοῦσις καὶ μακρὴ καὶ πηλόπυρος, καὶ θανάτωδης. HIPPOCR. in *Libr. de affect.* §. 24. in Opp. T. II. p. 176. cf. GALEN. de *locis affectis*, L. I. cap. II.
- <sup>o)</sup> vid. ORIBAS. in *Synopf.* L. IX. c. 12. p. 139; D. in *Collect. citat.*
- <sup>p)</sup> Galen. in *commentar.* IV. in HIPPOCR. *Libr. περὶ ἄφθρων* p. 452, C. in *Opp. edit.* CHARTER. T. XII.
- <sup>q)</sup> cf. ALEXANDR. TRALLIAN. *Libr. VIII. cap. VIII.* p. 251, E. in *coll. citat.*
- <sup>r)</sup> AET. in *TETRABIBL.* III. *Serm. I.* c. 43. p. 495, D. in *Coll.* HENR. ST.
- <sup>s)</sup> Ex exemplis haec res probata legitur apud HIPPOCRATEM, in *Libro. III. de morbis popularibus.* p. 725. in Opp. Tom. I.

si respicias, *varia* \*) existunt. Iis *ramenta intestinorum* (Ζύσματα) tenuissima aequae ac tenerima, quae ab AETIO *pellicularum* nomine insigniuntur, interposita sunt; et mox liuore quodam conspurcata apparent, mox autem ad nigredinem vergunt. u) Sanguis cum iis simul excernitur, qui, si in crassis intestinis malum haeret, illis, quae ex albo fluent, inbatat. Cum sanguine pinguis simul descendere solent. Si autem supra umbilicum tormina sunt, et tenerimis intestinorum particulis, quae cum fecibus exeunt, sanguis intime admixtus est; si croceae feces emittuntur, superiora intestina a morbo infestari indicat. Interdum vna cum ramentis istis insignis stercorum flauorum, seu ex flauo colore nigricantium copia protruditur, quae grauissimum odorem, a putrescente bile ac pituita oriundum spirant.

Multum ad morbum tam melius cognoscendum, quam sanandum, conferre, si, quale intestinum esset affectum, ex medicis signis concludi possit, vnanimi ore veteres asserunt. x) Etenim longe facilius morbum depelli posse existimarunt, si amplis intestinis vis inferretur, atque morbifica materies in *colo* potissimum intestino nociuas suas vires exsereret. Eum autem sanatu difficillimum esse putauerunt, si siue in *ieiuno* intestino, siue in aliis, quae *tenuia* vocantur, morbi sedes esset. Quae si ex signis certis atque indubitatis concluderent medici antiqui, esse affecta, internis medicinis, ad morbum propulsandum idoneis, potissimum vsi sunt; si autem crassorum intestinorum irritatio morbum fecisset, externis potissimum medicinis, quae per anum immittuntur, morbum sanare, annisi sunt. y)

In

\*) AETIUS loco citat.

u) cf. COELIVS AVRELIANVS, *chronicor. morbor.* L. IV. c. VI. p. 280. in *Colle-  
ctione medicor. antiquor. omnium, qui latinis literis diuersorum morborum genera  
et remedia profecuti sunt*, quae Venet. 1547. in fol. apud ALDI filios prodit,  
atque hodie rarissima est.

x) ALEXANDER TRALLIAN. L. VIII. c. 9. p. 257. D. in *Coll. STEPH.  
cf. ARETAEVVS, de causis et signis diut. morb.* L. II. c. IX. qui signa ele-  
ganter exposuit. Sed de his postea.

y) ALEXANDER TRALLIAN. loco iam allegat.

In hoc morbi spatio intestina ab acri materie abradi veteres putasse, ex iis, quae modo exposuimus, satis, ut nos quidem credimus, liquet. <sup>2)</sup> Neque difficilis me hercule! eorum error fuit, quoniam ex iis, quae cum impetu quodam egeruntur, atque e membranulis, quae mox tenuissimae, mox autem crassiusculae <sup>a)</sup> sunt, intestinorum intimam tunicam corrodi atque decedere putauerunt. <sup>b)</sup> Hinc neminem amplius fore credimus, qui miraretur, quibus tandem argumentis antiqui medici sibi persuadere poterint, intestina sic affici, cum eadem profecto symptomata, eademque deiectiones a tenaci muco, in membranaceam formam coacto, facillime proficisci queant. Sed plura latuere veteres, quae recentiorum demum industria inuenta, demonstrata, explicita atque confirmata sunt. — Eandem intestinorum corrosionem et in aliis magnis atque diuturnis morbis saepissime accidere GALENVS <sup>c)</sup> refert. Vitae denique periculum, licet etiam τὰ ζύσματα per longum temporis intervallum descendant, non semper instare, atque mulierem adeo gravidam, cui illa descendant, vna cum foetu reservari posse, HIPPOCRATES, <sup>d)</sup> testis summe idoneus, perhibet.

C 3

§. IX.

- <sup>2)</sup> Confirmatum hoc legere est apud GALENVM, in Commentar. IV. in HIPPOCRATIS L. de artic. p. 573. in Opp. edit. Froben. Tom. III.
- <sup>a)</sup> AVICENNA, Canon. L. I. Fen. II. Tr. 3. cap. I.
- <sup>b)</sup> cf. VOGELII disertat. de dysenteriae curationibus antiquis, quae Goettingae prodit. pag. 7.
- <sup>c)</sup> vid. PRINGLE, in libro, qui inscribitur, von den Krankheiten einer Armee im Feld und in Garnison, Seite 272. sec. edit. nouiss.
- <sup>d)</sup> in prorrh. L. II. §. 30. p. 510, in Opp. T. I. Τα τοιαῦτα γὰρ διαχωρηματὰ καὶ ὑπάρχοντα πρόσθεν ἐν τοῖσι σώμασι, νοσηματὰ ὑγιαίνει. τὰ μὲν παλαιότερα, ἐν πλείονι χρόνῳ τὰ δὲ νεώτερα δύναται καὶ ἐν ὀλίγῃσιν ἡμέρησιν ἀπαλάσσειν. ἐπεὶ καὶ ἐν γαστρὶ ἔχουσαι καὶ αὐτὰ περιγίνονται, μᾶλλον ἐς τοὺς τόκους τε καὶ ἐν τῶν τόκων, καὶ τὰ ἔμβρυα διασώζουσιν, αἷματος τε καὶ ζύματος διαχωρῶντων, καὶ πολλοὺς μῆνας ἦν μὴ τις ὀδύνη αὐτῆσι προσῆ, ἢ ἄλλο τι τῶν πονηρῶν ὧν ἔγραψα σημείων εἶναι ἐν τῆσι δυσεντερῆσιν, ἐπιγένοιο. Tales enim deiectiones (tamentorum) eorum etiam, qui antea in corpore erant, morbos sanant, antiquos quidem longiori temporis intervallo, recentes autem intra pau-

## §. IX.

*Vltimum dysenteriae ulcerosae stadium.*

Quum ad *tertium* denique *stadium* morbus dysentericus peruenit, intestina intus exulcerari solent; e) ac ipsam eorum substantiam, quae ex duabus tunicis componitur, aegri ab aluo demittunt. \*) Generantur autem haec ulcera, si alterum dysenteriae stadium, de quo iam exposuimus, diutius perseuerat, f) atque nociuus humor, qui in intestinis congeritur, ea exest. g) Hinc non raro accidit, vt *puris quid* h) cum fecibus descendat, atque cum ulcerum crustulis, *membranosa corpora* i) cum ingenti vi ex aluo ferantur. Ea mox lata sunt, et a derasis intestinorum tunicis proficiscuntur, mox autem rubra ac rotunda existunt, atque carnaeae indolis sunt. Σάρκες has glebularum vocauerunt veteres, et semper, cum illae

ab

*paucorum dierum spatium profligare valent. Nam et cae, quae vterum gerunt, etiam ipsae magis superfuites euadunt ad partum, et ex partu, et foetum conseruant, licet etiam per plures menses sanguinem et ramenta demittant. Si autem dolor, aut aliud signum adest, quod grauem dysenteriam esse indicat, contrarium obtinet. cf. ARETAEVS, de causis et signis diut. morb. L. II. c. 9. p. 59, E. in Opp. edit. BOERHAAVII, qui dysenteriam, vbi intestina abraeduntur, innoxiam interdum esse declarat.*

e) cf. GALEN. in *commentar. in HIPPOCR. Aphor. IV. 26, et de loc. affect. Libr. VI. cap. II.*

\*) cf. HERCVLES SAXONIA, in *praelectionum practicae. parte II. c. XIX. p. 176. in Opp.*

f) vid. ALEXANDR. TRALLIAN. *Libr. VIII. cap. VIII. p. 251, A. in coll. HENR. STEPHAN.*

g) CELSVS *Libr. II. c. VIII.*

h) *δισιν ἐκ δυσεντερίας ὀξείης εἰς πυώδηα ἤκει, τὸ ὑγρὸν τὸ ἐφιστάμενον ἐκλευκὸν ἔσται καὶ πολὺ Coac. 293.* Mortiferam hanc deiectionem vltimum esse, vel ex HECASONIS exemplo probari potest, qui, cum pus per aluum deiecisset, supremum diem obiit. v. HIPPOCR. in *Epidem. L. V. §. 15. in Opp. T. I. p. 779.*

i) GALEN. *de symptom. causis. L. III. cap. VII. p. 97, E. in Opp. edit. CHAR- TER. T. VII. ἐν τεταέρτη inquit (sc. dysenteriae specie) καὶ πύον τι συν- κρήνεται πολλάνκις ὀλίγον καὶ τῶν καλεμέων ἐφελκίδων, ὑμνωδὴ δὲ τινὰ σώματα μόρια τῶν ἐντέρων αὐτῶν.*

ab alio descenderent, mortiferum morbum iudicarunt. *k)* Longe tamen maius vitae periculum instare existimarunt, si a falsa pituita morbus originem suas duxisset; *l)* si inflammatio vehemens aegrum exerceret, *m)* atque cum carnositas saniosa simul descenderent. *n)*

Quae autem ab alio demittuntur, partim ob ipsam intestinorum, quae malus humor male afficit, structuram diversam, partim autem ob ipsorum ulcerum, quae intestina obsident, differentiam, multis notis inter se distincta sunt. Etenim, si periculum, quod ex ulceribus aegris impendet, respicias, quae tenuia intestina, et *ieiunum* imprimis occupant, ulcera, longe difficiliora sanabilia sunt, quam ea, quae in crassis intestinis morbum faciunt. *o)* Iis enim densa fibrarum carnearum compages satis firmam contra rosionum iniurias tutelam praebet. *p)* Si itaque dolor in ea abdominis regione percipitur, quae *supra q)* *umbilicum*, vel circa illud *r)* est, ac si sanguis fecibus interpositus reperitur; si excrementa non statim descendunt; postquam rosiones expretus est aeger, ac si tenerrimae moleculae demittuntur, *s)* tenuia intestina male affici, concludere licet. Ulcera autem, si in tenuibus maiora quidem sunt, at superficiem eorum tantum infestant, biliosis fecibus interpositus ac inodorus decedit,

ac

*k)* ἢ ὑπὸ δυσεντερίης ἐχόμενῳ οἷον σάρκος ὑποχωρήσῃσι, θανάσιμον. HIPPOCR. in *Aphorism.* Sect. IV. 26. cf. GALEN. in *commentar. ad h. loc.*

*l)* GALEN. in *commentar.* in HIPPOCR. *Aphorism.* III. 12.

*m)* vid. AETIVS in *retrabibl.* III. *Serm.* I. cap. 43. p. 495, F. in *coll.* HENR. STEPH.

*n)* vid. RHASES in *diuis.* Libr. I. cap. 68, p. 392. in Opp. edit. *Basil.* ab ann. 1544. *conf.* PAVL. AEGINET. Libr. III. c. 42. pag. 461, C. in *Coll.* H. STEPHAN.

*o)* GALEN. de *methodo medendi* L. VI. cap. IV. *conf.* AETIVS in *retrabibl.* III. *Serm.* I. cap. 43. p. 495. in *coll.* citat.

*p)* vid. ALEXANDER TRALLIAN. Libr. X. cap. I. p. 167. in edit. *graec.* quae apud ROBERT. STEPHANVM Parisiis 1548. in fol. prodit.

*q)* COEL. AVRELIAN. *chronicor. morbor.* L. IV. c. VI. pag. 324. in *Edit. Perill.* ab HALLER T. II. Huic signo maximam fidem habuere omnes medici antiqui.

*r)* AETIVS l. c. pag. 494 F.

*s)* AVICENN. CANON. III. *Fen.* XVI. *Tr.* I. cap. 2. p. 810. in Opp. T. I.

ac neque febris, neque dolorum molestiae vehementer vrgent. \*) Ea vero, si serpunt in tenuibus, illaque exedunt, biliosa, porracea, variegata, crocea, spumosa, saniosa, olida, feculenta, nigra, crassiuscula, u) et putrida x) denique ex aluo ferri solent. Tormina simul mordacia sunt, atque desidendi cupiditas frequentissima est. y) Si autem *caua ulcera* intestinis vim inferunt, febris, quae aegrotantes detinet, acuta est, ac insuperabile ciborum fastidium. Vigiliis simul exercentur, cum in hanc calamitatem aegri peruenero, ac ructus, nauseam, bilis mox atrae, mox autem flatae vomitum, immo vertiginem experiuntur. Vires fere omnes iis deficiunt, ac articuli omnis fere caloris sensu destituuntur. Tam imbecille interdum eorum robur est, vt ne pedibus quidem insistere queant. Ardore, siti ac anxietatibus infestantur, lingua sicca est, ac pulsus arteriarum parui et debiles existunt. z) Os ventriculi acerrimos morsus experitur, et haud raro accidit, vt ob summos, quibus excruciantur, dolores, animus aegris deficiat. Quosdam adeo in hoc deliquio animam exhalasse, ARETAEVS a) perhibet, qui huius morbi historiam omnium elegantissime tradidit. In *ieiunio* intestino vlcera rarius obtinere, at omnium maxime fatalia esse, AETIUS b) atque AVICENNA c) asseuerant. Id autem si male afficeretur, egestiones crudiores, et atrum sanguinem fecibus interpositum esse, veteres perhibent. d) Vomitus aegros

r) ARETAEVS *de causis et signis diuturnorum morborum*. L. II. cap. IX. pag. 61, D. in *edit.* HERM. BOERHAAVE. *conf. Aetius* pag. 494, B. in collect. allegat.

u) Tenuibus intestinis a morbosa materie affectis, tenuissimas feces descendere, COELIVS AVRELIANVS (*chronicorum morborum*. Libr. IV. cap. VI. p. 180. in collect. *Medicorum Latinorum*, ALDINA) perhibet.

x) ARETAEVS l. cit. pag. 61, A.

y) Vid. AETIUS *tetrabibl.* III. Serm. I. cap. XLIII. pag. 495, F. in collect. allegat.

z) ARETAEVS, pag. 61, E.

a) l. citat. pag. 62, A.

b) *tetrabibl.* III. Serm. I. c. 43. pag. 494, G.

c) AVICENNA. *Canon*. III. *Fen.* XVI. Tr. I. cap. II. p. 310. in *Opp.* T. I.

d) Si niger sanguis ac vetustus, cum eoque pituitosa atque suppinguia ab aluo descenderent, in *ieiunio* intestino morbum esse, ex ANTYLLO AETIUS l. c. refert.



gros, ac in ea regione, quae supra umbilicum est, dolores vehementes experiri, ac omnes cibos auerfari. Interdum euenire, vt aegrotantes, quibus *jejunum* male affectum est, febre maligna corripantur; os decolor fit, ac sudores grauissime vrgeant, vt animi adeo deliquium interdum induxisse dicantur. — Languent sane omnia, si malum vlcus *jejunum* intestinum exest, et mors denique maximis, quos perpeffi sunt, cruciatibus moestum finem imponit. e) Alterum, ac insigne quidem vitae periculum aegris a sanguine imminet, qui interdum ex intestinis profundi consuevit. Quandoque enim accidit, vt siue turpis materies, siue vlcera serpentina, quae *vomus* f) vocarunt, venas arteriasque, quae in intestinis sunt, exedant, atque mortiferam sanguinis profusionem excitent, g) quae eo maiorem mortis subitaneae metum indicit, quo minorem in ea cohibenda operam medicus impendere potest. Signa vero, e quibus haec profusio futura cognosci potest, fere sequentia sunt. Viribus fere omnibus destituuntur aegri, vt in *λεποθυμία* adeo facillime incidant. At in eo loco, qui ab exedente materie corroditur, hebes quidam doloris sensus percipitur; h) anxii sunt aegroti, et os eorum rubore quodam perfunditur.

Quae autem *crassa intestina* occupant, vlcera, magis tata sunt, cum, licet etiam ab eorum substantia quid decedat, longe facilius tamen citatrice obduci consolidarique possint. Quae si vlcus obsidet, rosionis sensus in infima abdominis regione percipitur, crebra desidendi cupiditas est, febris accenditur, dolor obtusior existit, atque cum aquosis ac saniosis carnosa simul descendunt. i) Excrementa pingua sunt, iisque cruor ater innatare solet. k) Interdum AETIO l) teste, multa ac coacta cum flatibus ex aluo feruntur, et ciborum appetitus inexplebilis fere est. Quum vero profunda crassis intestinis vim inferunt vlcera, saniosa efferuntur, subrubida, quae aquae, in

e) Prava quidem tenuium intestinorum vlcera, at ea, quae in jejuno existunt, pessima esse pronunciauit AVICENNA, Libr. III. Fen. XVI. tr. I. c. 2. p. 810. in Op. T. I.

f) In vlcera hac specie explicanda multus est Bierchen. (vid. ei, Abh. v. d. Kennzeichen der Krebschaeden p. 120.)

g) ARETAEVUS, L. II. cap. IX. pag. 62, B.

h) AETIVS, *tecrab.* III. Serm. I. c. 43. p. 495, D.

i) CELSVS, Libr. IV. cap. XV.

k) vid. ALEXANDR. TRALLIAN. L. X. c. 1. p. 167. in Edit. ROB. STERN.

l) pag. 494. E.

in qua caro lota est, simillima ac inodora <sup>m)</sup> sunt. Interdum euenit, vt abscessus in illis generentur, qui, si dura ac carnosae demittuntur, pro malignis habendi sunt. Interdum autem accidit, vt intima intestini tunica decedat, <sup>n)</sup> et nigrae, variae olidaeque feces emittantur. Cum iis, praesertim, si ad extrema ventum est, moleculae flavae, aut nigrae ac graeolentes excernuntur, quae vt PRINGLIUS <sup>o)</sup> iam monuit, infinitis certe modis a carnibus istis, quarum HIPPOCRATES mentionem fecit, differunt. Eas aliquoties ipsi cum examinassemus, nulla certe ratione a pinguedine intestinorum naturali differentes inuenimus, nisi quod coactae ac rancidae essent, et malum odorem spargerent. — Vbi *coecum* intestinum vlcus occupat, carnes rubicundas et grandes descendere, ac crassum cruorem, male foetentem et foeculentum demitti, antiqui referunt medici. Vbi autem *colum intestinum* vlcera obsident, sitim minorem, et ciborum cupiditatem auctam esse, febrem nullam, vel perexiguam saltem accendi, atque egestionis spumosas, crudas, cruentas atque flauas esse, AETIUS <sup>p)</sup> prohibet. *Recto* autem *intestino* exulcerato, omnia longe mitiora esse, neque febrem aegros exercere, nisi vlcus canerosum sit, idem auctor prohibet. <sup>q)</sup>

Si ea omnia, quae huc vsque protulimus, quis perpendet, merito dubitabit, vtrum haec dysenteria veterum cum isto morbo ex omni parte conueniat, quem recentes medici *dysenteriam* appellant. Hoc sane certum est, atque extra omnis dubitationis aleam positum, antiquos medicos, atque eorum, qui ante saeculum decimum septimum floruerunt, fere omnes, de tertio hoc morbi dysenterici stadio doctrinam nimium in modum exornasse, atque multa intestinorum affectionum symptomata animo suo excogitasse, quae ab exsuperante ingenii vi profecta, vix ac ne vix quidem in aegris, qui intestinorum difficultate detinentur, obseruari solent. Sed promeritis indefesse industriae laudibus nequaquam defraudandi sunt maiores nostri, qui cum omnibus fere auxiliis, quibus intimi naturae recessus explorantur, examinanturque, destituerentur, atque crudioris tantum hominis fabricae gnari essent, summam tamen, quam poterant, in exploranda morborum natura diligentiam posuerunt. Et fieri certe facillime potuit, vt summi et acerrimi obseruatores a morbo, quoad symptomata

sua

m) ARETAEVS, loc. citat. pag. 60 E.

n) GALEN. de locis affect. I. cap. I.

o) Beobachtungen von den Krankheiten einer Armee pag. 271.

p) pag. 495, A.

q) In contrarias partes abire videtur STRACK, vir Celeberr. in sensamine suo de dysenteria, pag. 79.

fita vehementissimo deciperentur, cuius effectus causae cultello indagare nefas ac impium putabatur. \*) Ac neque hodie eo descenderunt medici, quibus sagacissimum ac eximium ingenium est, et qui artem plurimis ac laudabilibus quidem inuentis locupletarunt, ut intestinorum vlcera ab omni dysenteria, qualiscunq; tandem sit, abesse putent; ut potius, ubi protrahitur morbus, ab acerrimo et irritante humore vlcera interdum in intestinis produci posse assueverent. \*\*) Et ipsa experientia, ac summorum anatomicorum industria demonstratum est, vlcera intestinorum in iis, quorum vitae dysentericus morbus finem imposuit, frequentissime obuia esse. \*\*) Neque euenire profecto tam frequenter potest, ut hodie adhuc aegri, qui dysenterico morbo detinentur, in tertium hoc huius morbi stadium deueniant, ac vlcerebus intestinorum infestentur; idque eam potissimum ob causam fieri putamus, quod incredibiliter plane huic morbo medendi methodus amplificata nostris temporibus atque vtilissimis medicinis aucta sit, quibus veteres penitus fere caruerunt. Hinc facillime etiam euenire potuit, ut antiquis temporibus longe plures aegri ab vlcerebus, intestina occupantibus infestarentur opprimerenturque, qui efficacioribus et magis tutis medicinis reseruari ac sanari potuissent, antequam ad extremum gradum morbus peruenisset. Hoc autem maximam profecto admirationem mouet, quod ii, qui postea de hoc morbi genere commentati sunt, (quorum haud exiguus sane est numerus) veterum opiniones de illius originibus magis adhuc exornauerint, donec WILLISII demum atque SYDENHAMI obser-

## D 2

uatio-

- \*) Neque in omni tamen dysenteria vlcera generari putarunt, sed accidere interdum crediderunt, ut e toto corpore visceri humores in intestina deferantur, atque dysenteriam adeo vlcere expertem producant. conf. ALEXANDER TRALLIAN. L. VIII. c. IX. pag. 258. A. et AVICENNA, Fen. XVI. Libr. III. Tr. I. cap. 2. pag. 811. in Opp. T. I. *Illa autem, inquit, dysenteria, quae fit ab intestinis absque excoriatione, et absque causa eorum, quae sunt super ea, communicat lubricitati stomachicae in causis.*
- \*\*) In egregio isto diario, quod inscribitur *neue Edinburgische Versuche* Band II. Seite 290. quaedam morbi dysenterici per longissimum temporis spatium durantis historiae occurrunt. Vlcera intestinorum in aegris istis demum oborta esse, multa suadent. — Alia exempla, ne harum pagellarum moles nimia fiat, silentio transire placet.
- \*) Omnia haec probata confirmataque leguntur in FONTANI *pract.* Libr. III. cap. XXIII. conf. AKENSIDE, in *commentar. de dysenteria*, (Lond. 1764. in 8v.) pag. 5. BONTIUS, *de medicina Indiarum* L. III. cap. 3. TVLPIUS in obseru.



seruationibus compertum haberetur, dysentericum morbum haud raro vlc-  
ris et puris expertem esse.

Ex iis omnibus denique, quae de veterum opinionibus super morbi  
dysenterici originibus, exposuimus, vnusquisque

*cui rectam mentem Mnsa Deusque dedit,*

facillime intelliget, veteres medicos intestinorum vlcera non pro dysente-  
rici morbi causa, sed pro ipsius morbi potius progenie habuisse. <sup>r)</sup> Id  
enim iam ex eo patet, quod in primo stadio intestina leuiter tantum a mor-  
bosa materie affici, in altero corrodì, ac in tertio denum morbi stadio  
vlceribus exedi crediderint. Hinc sane ii in grauissimam erroris culpam  
incurrunt, qui ab vlceribus intestinorum dysenterici morbi origines ex-  
plicant, atque ad res suas stabilendas veterum effatis potissimum abu-  
tuntur. Neque eorum auctoritati permagna fides est, qui mendaci me-  
thodum, quam veteres ad dysenteriam propulsandam adhibuere, et hodie-  
nis temporibus dysenterico morbo accommodatissimam ac vtilissimam esse  
putant. Namque, quum omnes veteres variis et efficacissimis vtplurimum  
medicinis vlceribus potissimum mederi anniterentur, talia saepissime ad-  
hibuerunt remedia, quae hodiernae dysenterici morbi theoriae neque accom-  
modata satis, neque tuta penitus ac expertae fidei sunt. Sed de modo, quo  
sanationem dysenteriae tentarunt veteres, in altera huius libelli sectione ea  
inprimis exponemus, quae a VOGELIO, qui singularem de *curationibus*  
*dysenteriae antiquis* libellum conscripsit, aliisque vel praetermissa penitus,  
vel non perspicue satis tradita expositaque sunt.

## §. X.

serv. III. 17. et ZIMMERMANN, *vir. illustr.* in libro, qui inscribitur:  
*von der Ruhr.* pag. 55. Ex exemplis eadem demonstrauit de la MONIE-  
RE in Tr. sui de fluxu dysenterico cap. VIII. et GEORGIUS CLEGHORN,  
in *Observations on the epidemical Diseases in Minorca* pag. 227. Conferri me-  
retur MORGAGNI (*de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis*  
*epist.* 31. atque STRACK, *vir. celeberr.* (*in tentam. de dysent.* p. 93.) Plures  
etiam extrispciorum historias congeffit THEOPH. BONNETVS, in *sepul-  
chret. anatomic.* L. III. Sect. XI.

- r) In grauissimum hunc errorem praeter alios, quos silentio transgredi placet  
AKENSIDE, *vir doctiss.* incidit, qui vlcera intestinorum pro causa morbi  
dysenterici a veteribus habita esse asseuerat. vid. *ej. commentar. de dysenteria*,  
Londini 1764. p. 7.

## §. X.

*Dysenteria aliis morbis superueniens.*

Expositis nunc, explicitisque dysenterici morbi speciebus, quarum mentionem veteres iniicere, in iis pertraclandis morbis occupabimur, quibus dysenteriam mox fausto cum omine, mox autem funestis cum auspiciis superuenire docuerunt veteres. Hoc sane certum atque innumeris exemplis demonstratum est, omnes illos morbos, qui aliis superueniunt, longe periculosiores esse iis, qui sana corpora et nulla antea aduersae valetudinis noxa infestata corripere solent. Neque difficulter profecto huius rei ratio reddi potest; quoniam a prioris morbi insultibus iam eneruatam corpus noui morbi calamitates diu sustinere nullo modo potest.

Creberrime autem alui profusionem atque tenesimum dysentericum morbum excipere, HIPPOCRATES <sup>u)</sup> GALENVS, <sup>x)</sup> PAVLVVS AEGINETA, <sup>y)</sup> et RHASES <sup>z)</sup> denique asseuerant; neque morbi periculum intendi putant, nisi alui profusum admodum diuturnum praecesserit. Quae autem *cholericam ventris solutionem* atque *excoriationem* dolorificam excipit, dysenteria, teste AVICENNA <sup>a)</sup> mala est.

Certis quibusdam hominum aetatibus dysenteriam maxime familiarem esse, iam supra e veterum monumentis retulimus. Et interdum teste HIPPOCRATE, accidit, vt, quum dysenteria epidemice grassatur, quidam aegri illi prae aliis obnoxii sint. Hinc teste COO <sup>b)</sup> tabidos aliquando leucophlegmaticosque dysentericum alui profusum frequenter tentauit, ac ii, quibus ex abscessu in hepate oborto, aquae praeternaturalem in modum in corpore accumulatur, frequenter in sanguinolentum alui profusum incidunt. <sup>c)</sup>

Diuturnam dysenteriam iis, qui ex splene male se habent, superuenientem grauem atque periculosam pronunciauit HIPPOCRATES; <sup>d)</sup> breuem autem intestinorum difficultatem iisdem aegris proficuum esse

D 3

idem

<sup>u)</sup> in Epidem. L. II. in Opp. T. I. pag. 692. conf. *Aphorism.* Sect. VII. 75.

Post meracam alui deiectionem dysenteriam oboriri, HIPPOCRATES (*Aphorism.* VII, 23.) perhibet.

<sup>x)</sup> in *introduct. s. medico.* cap. XIII. pag. 385 D. in Tom. II. edit. CHARTER.

<sup>y)</sup> Libr. III. cap. XLII. pag. 460 A. in coll. HENR. STEPHANI.

<sup>z)</sup> ad *Mansor. de re medic.* L. IV. c. VIII. pag. 96. [in edit. citat.

<sup>a)</sup> L. III. fen. XVI. Tr. I. p. 811. in Opp. T. I.

<sup>b)</sup> in *Epidem. Libr. III.* p. 728. in Opp. T. I. cf. L. *de aere aquis et loc.* §. 27.

<sup>c)</sup> vid. AVICENN. L. III. fen. XIV. tract. IV. pag. 783. in Opp. T. I.

<sup>d)</sup> in *Aphorism.* sect. VI. 43.



*idem auctor e)* perhibet. Salutarem denique dysenteriam iis esse, quibus mens furore diuturno agitur, COVS SENEX *f)* iam retulit.

Senibus tandem, quibus articuli tumidi sunt, et qui aluum adstrictam habent, solam dysenteriam mederi posse, HIPPOCRATES *g)* perhibet; ac ischiadicis dysenteriam vtilem esse, ex ipso COO Senecoe LIVS AVRELIANVS *h)* refert.

§. XI. *Dysenteria critica.*

Enimvero morbus dysentericus, qui inter illos, qui subitam mortem asserre consueverunt, fere primus est, hominesque caeteruatim trucidat, haud raro salutem iis, quos corripit, asfert, atque ex incertis ac dubiis morbis aegrotantes quandoque eripit. Adeoque nec ea, quae summam corpori humano calamitatem asserunt, salutifera sua vi penitus destituuntur, sed dum occidunt mortalium haud paucos, multis etiam vitam feroces morborum insultus, cum eaque salutem reddunt.

Plurimas autem acutas, quae a bile, alioue nociuo humore, qui in intestinis colligitur, accenduntur, alui profusione larga solui ac iudicari, inter omnes compertum est. Hinc etiam factum est, vt febres, quae grauissimis symptomatibus homines infestant, dysenterico alui fluxu interdum solui sanarique HIPPOCRATES *i)* iam demonstrauerit. „*Quibus in febribus aures obsiduerunt, inquit diuus senex, his non soluta febre, insanire necesse est. Solut autem sanguis e naribus erumpens, aut aluus biliosa egerens, aut dysenteria accedens, aut coxarum aut genium dolor.*” Quosdam a diuturna mentis emotione dysentericum alui profuuium liberare, iam supra retulimus. — Interceptionem intestinorum, quam Ileum, siue voluulum vocant medicinae professores, aut febre, aut dysenteria solui, COVS SENEX *k)* asseuerat.

Iis,

*e)* HIPPOCR. in Aphorism. sect. VI. 48.

*f)* HIPPOCR. in Aphorism. sect. VII. 5.

*g)* in Proorrh. L. II. §. 15. in Opp. T. I. p. 498.

*h)* COEL. AVREL. in *chronicor. morb.* L. V. cap. I. p. 354. in Opp. edit. HAL-  
LEKI. T. II.

*i)* ὄσοισιν ἂν ἴνquis, ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὅλα κωφωθῆ, ταυτέοισι, μὴ λυθέντος τοῦ πυρετοῦ, μανήναι ἀνάγκη. λύει δὲ ἐν τῶν εἰνῶν ἀμαξὺν, ἢ κελίη ἐκταραχθεῖσα χλωώθεα, ἢ δυσαντερίη ἐπυγενεμένη, ἢ ὀδὴν ἰσχυῶν ἢ γενάτων. HIPPOCR. de indicationib. §. XI. p. 446. in Opp. T. I.

*k)* HIPPOCR. de indicationib. §. XII.

His, quibus articuli tumidi ac infirmi sunt, *dysenteriam* vtilissimam esse, iam ex supra dictis intelligi potest. Gibbos adeo, qui ex humoribus in dorsi regione accumulatis nati sunt, diuturnam intestinorum difficultatem soluere HIPPOCRATES <sup>l)</sup> perhibet. Per solam humorum colligationem resolutionem hancce explicandam esse, STRACK, *Vir Celeberr.* <sup>m)</sup> asserit.

## §. XII.

### *Morbi dysenteriae superuenienter.*

In iis autem morbis, qui dysentericae alui profusioni vario ac inutili, immo nociuo artificio interceptae superuenire consueverunt, acutae quaedam febres, ac omnes fere isti morbi, qui a nimia partium corporis nostri irritatione proficiscuntur, facile eminent. Verumenimvero quoniam celeriter ut plurimum haec morborum genera decurrunt, non mirum sane est, quod mortem paene omnibus, quos corripunt, inferre soleant. Phrenitidem, lethargum, dolorem capitis ferocissimum, mortiferam viscerum in abdomine positorum inflammationem ac *parotides* interdum perniciosas <sup>n)</sup> a dysenteria intempestiuis medicinis suppressa excitari, ex exemplis ALEXANDER TRALLIANVS <sup>o)</sup> demonstravit, illarumque aegritudinem origines a bilioso humore in intestinis collecto retentoque explicuit. *Si enim biliosus humor, inquit vir eximius, in ventre aut in intestino collectus retineatur, exituque prohibeatur, loca ambientia offendit, stomachum subvertit, caput replet, viscera inflammat, febris magis accendit, sitim auget, ac totum morbum grauiorem efficit.* <sup>p)</sup> Et nostris adhuc temporibus praecleari huius effati veritatem innumerae et fuisse quidem experientiae praecclare testantur. Quantam enim nuperrime demum intulerint calamitatem calidae ac adstringentes medicinae praepostere ab ignaris medicis aniculisque exhibitae, ZIMMERMANNVS, *Vir*

<sup>l)</sup> *de articulis*, §. 37. in Opp. T. II. p. 739.

<sup>m)</sup> *de dysenteria*, p. 98. Sed voce hac HIPPOCRATES latiori paulum sensu vsus est.

<sup>n)</sup> Mortem indicare abscessus paruos pone aurem sinistram, SORANVS asserit. vid. ei. *Ilagog. in artem medendi*, fol. VIII. A. in collect. veterum medicor. quae Basil. apud ANDR. CRATANDR. 1528. in fol. prodiit. conf. HIPPOCRATES, in Coac. III. 290. et BRENDELII dissert. de abscessibus per mater. et ad nerv. §. III.

<sup>o)</sup> *Libr. VIII. cap. VIII. p. 148. E. in coll. citat.*

<sup>p)</sup> L. c. pag. 148. G.

*Vir Ill.* in elegantissima sua *de dysenteria* tractatione 4) e multis ac funestis vtplurimum exemplis demonstravit.

Inter eos autem morbos, qui diuturnae dysenteriae superuenire assueverunt, *hydrops*, r) ac *laeuitas intestinorum* s) primum fere locum occupant. Ac illorum quidem origines nulli latebunt, cui, quantum infirmitatem dysentericis alui fluxus intestinis inferat, cognitum est.

Neque leues noxae intestinis ab ulceribus inferri veteres arbitrati sunt. Plurimas illarum iam in IX. tractationis nostrae §. recensuimus, quibus *perforationem intestinorum* ab ulceribus profundis oriundam, ac varios *abscessus*, qui in ipsa intestinorum substantia generantur, febriculamque hecticam, quae ex illis interdum origines suas ducit, addere placet. Stercus adeo e perforatis intestis in abdomen descendere, atque vlcera ad viscera usque penetrantia in ventre producere, AVICENNA t) et post eum MATTHAEVS DE GRADIBVS u) refert. Ex abscessibus autem in dysentericorum intestinis generatis varia mala, et consumptionem imprimis totius corporis oboriri, AETIVS x) et GALENVS y) denique perhibent.

q) *von der Ruhr*, Seite 168.

r) vid. HIPPOCRATES in *L. de affect.* §. 23. in Opp. T. II. p. 174. et de *aere aquis*, loc. §. II. nec non Q. OCTAVIUS HORATIANVS, *Libr. II. c. VIII.* p. 66. in edit. allegat.

s) cf. HIPPOCRATES in *Aphorism.* VII. 76. ἐπὶ δυσεντερειῶν inquit, λεισυτερειῶν. conf. Q. OCTAVIUS HORATIANVS. l. c. p. 66. Lienteriam dysenteriae succedere, ex eaque hydropem denique oboriri, HIPPOCRATES (*L. de morb. I. §. 3. p. 4.* in T. II.) perhibet.

t) AVICENN. *Libr. III. fën. XVI. Tr. I. cap. 2.*

u) in *pract. parte II. cap. XII.*

x) in *tetrab. II. serm. I. c. 42.*

y) *de different. febr. L. II.*

### T H E S E S.

1. Liber ille, qui ὀνεος inscribitur, ab ipso HIPPOCRATE profectus est.
2. A praecordiorum vitii phrenitidem quam saepissime produci, ac inflammationem cerebri rarissime huic morbo producendo idoneam esse, admodum credibile est.
3. Petechialis morbus, quem HERONYMVS FRACASTORIVS primum descripsisse dicitur, iam HIPPOCRATI cognitus fuit.
4. Certam morborum classem febres, quas malignas vocant, constituimus.
5. A Iudaeis Graecos religionem suam accepisse vix probabile est.